



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Præcellentia Episcopalis Dignitatis

Alzedo, Mauricio de

Lugduni, 1630

Reverendus P. Magister Didacus De Salazar In Benedictina Familia Bis
Diffinitor, bisque Abbas in cænobio Diui Millanis de la Cogulla (..)

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62394)

REVERENDVS P. MAGISTER DIDACVS
DE SALAZAR IN BENEDICTINA FAMILIA BIS
Diffinitor, bisque Abbas in cænobio Diui Millanis *de la
Cogulla*, & Diui Vincentis Salmanticensis, in ipsaque Vni-
uersitate per viginti annorum curricula Theologiæ Magi-
ster, & ibi Licentiaturæ & Doctoratus gradu decoratus, to-
tius verò Ordinis iam diu Concionatoris celeberrimi offi-
cium gerens, postea verò apud sanctum Martinum Matri-
tensem, nunc verò vt existimo in cælesti patria commora-
tur: in hunc modum quid senserit dicit de Praxi Domini
Mauricij de Alzedo.

DE præstantia Episcoporum libellum, siue compendium à
D. Doct. D. Mauricio de Alzedo elaboratum *legi accuratè,
& perlegi, opus sanè omni admiratione dignum, dum enim etatem au-
thoris, agit enim secundum supra vigesimum annū, considero, & ex alia
parte tot Pontificum recondita arcana, sanctorum Patrum testimonia
selecta, & non vulgares sacra Scriptura expositiones congestas in ope-
re video, laborem etatem superasse quis non videat, & iuuenem se
Epist. II. supra seipsum leuasse facile intelliget. Quid enim (teste Seneca) iuueni-
lis etas nisi flores ingenij prorumpere potest: si ergo in iuuenili etate nō
solum flores, sed fructus vberimos apparuisse iam cernimus, nōne
mirandum, apparuerunt certè flores fructus honoris & honestatis, vt
Canticor. de alio Spiritus sanctus testatur, honoris inquam, nam si filius sapiens
honor est patris, festinata sapientia quid non parentes honorabit, ho-
nestatis etiam, nam si teste Cypriano assidui labores honestatis indi-
Epist. 2. cia sunt, labores in iuuentute florentes quid iuuentutem honestam &
laudabilem non reddent. Apparuerunt ergo, prodeant, & typis man-
dentur huiusmodi flores & fructus, vt in eis quid sibi præsent habeant
Episcopi, iuuenes quid imitari, omnes quid admirari. Data Matriti
apud Diuum Martinum.*

Fr. Didacus de Salazar.